

745

P A T R I S T I C I

746

CCCXLVI.

R. 935 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 150. f. per duas columnas luculente et eleganter exaratus, rubro distinctus, et olim Collegii S. J. *Viennae* complectitur S. *Aur. Augustini Libros XV. de Trinitate*. Praescriptum: *In nomine sanctę et indiuiduę trinitatis. Incipit Liber Augustini de Sancta Trinitate*. Initium facit *Locus e L. II. Retract. c. 15. Libros de Trinitate, quae Deus est* &c. Hunc excipit *Epistola ad Aurelium Ep. Carthag. De Trinitate quę Deus summus* &c. Sequitur *Summarium Libb.* quod in edit. *Maur. Opp. omn. T. VIII. col. 749.* non habetur, quod tamen in L. XIII. abruptum est, cumque *fol.* sequens incipiat: *in humilitate. Expliciunt Capitula, suspicor folium integrum, quod etiam Capitum omnium Librorum Elenchum continebat, excidisse. Post haec: Incipit Liber primus. Lecturus hec quę de Trinitate differimus. prius oportet* &c. Opus integrum est, et in marginibus manu Sec. XIV. enotatum. Lectio cum Editis probe consonat. In *Loco Retractat.* legimus *in creatore amare speciem corporalem pro in laudem creatoris. In Epistola: essent profecto easdem sententias habentes multo enotatiores omisso etsi et tamen. L. I. c. 1. n. 1. concludunt sibi et intelligentiae vias pro intercludunt. N. 2. spirare enigma pro spissaret aenigmata. Item vera immortalitas incommutabilis pro incommutabilitas*

&c. Ita et per decursum plura non improbanda se offerent.

CCCXLVII.

Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 116. 4. pereleganter scriptus et minio distinctus a *Luitboldo Coenobita Lunaelacensi*, ut quidem *Scheda* eidem inserta adserit, saepius mihi jam memorato ita inscribitur: *Incipit Liber primus Sancti Augustini de baptismo paruulorum ad marcellinum Tribunalum Et Notarium*. Ita nempe: *Quamuis in mediis et magnis curarum estibus* &c. ut edit. *Maur. T. X. col. 1.* Sequuntur et reliqui II. *Libri integri*, quorum tamen *Textus ad Editorum perfectionem non adfurgit.*

II. *fol. 99. Incipit Liber de unico baptismo fideliter*. Scilicet ejusdem *Patris contra Petilianum*. Initium est: *Respondere aduersa sententibus et a regula veritatis errantibus Constantine frater* &c. ut edit. *cit. T. IX. col. 527.* Exciderunt vero extrema ab iis verbis *c. XVII. Marinum ab aquis tibiltanis, Silvanum* — — —. Lectio nihil superiore perfectior.

CCCXLVIII.

Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 132. 4. eleganter exaratus et rubricis distinctus sequentia *D. Augustini* complectitur *Opuscula*: I. *Incipit Prologus sancti augustini in libros de nuptiis et concupiscentia*. Ita: *Scripti duos libros ad illustrem Virum Comitem*

Aaa 3

Vale-

Valerium &c. Locus e *Retract.* L. II. c. 53. cui succedit *Epistola* ad ipsum *Valerium*, et deinceps praediſti II. *Libri*, omnia, ut edit.

Maur. T. X. col. 277. etiam Textu valde sincero. Subjecit Scriptor primum:

Qui bona multa cupit, hæc undique carpere nouit.

Sic ego queque locis reperi degens alienis,

Quæ fuerant uisa studiis liberalibus apta,

Scribere curauî commendans posteritati.

Et en ridiculum specimen: *Nacta* occasione dicere non piget, quid sit *mulomedicus* et *trepedica*. Legimus in *ypocrate*, quia *mulomedicus* ipse sit *archiater*, quem *medicum* dicimus. *Mulon* namque *græce* calidum dicitur *latine*. *Mulomedicus* compositum est nomen a *mulon* et *medico*. Ille quippe specialiter dicitur *mulomedicus*, qui calida *frigidis* et *frigida* calidis curare scit. Refert etiam memoratus *philosophus*, quod *trepedica* sit olla *genæ* tribus constans pedibus, unde et nomen sortitur, ad hoc facta, ut semper apta sit ad calefaciendas potiones et cetera antidota, quoties res exigit. Hoc genus *medicinæ* intelligunt plures antiquum hostem ferre, ut in *trepedica* calida et in cornu *frigida* ferret antidota, ut, cui unum non placuisset, mox alterum præbuisse. Ad hæc etiam dicimus, iuxta quod in *castmiensi* monasterio pictum vidimus, quod *ligaturæ* sit species quædam, unde equi uel muli solent ligari (*Etrivière?*) Sed quid horum magis uerum sit, quia sine periculo nescitur, sapientium iudicio relinquimus. Si enim dictum esset, quod mulo sedisset, faueret simplicioribus. Incaſsum hic tricabere, ni noris, commentari

hominem in illud *Gregorii M. Dialogor.* L. II. c. 30. Dum ad beati *Joannis oratorium* (*Benedictus*) — pergeret, antiquus hostis in *mulomedici* specie obviam factus est cornu et *trepedicam* ferens. Hanc *Mauriani* triplicem *pedicam* nempe ad equorum vinciendos pedes interpretantur. Quid vero, si vas tribus pedibus insitens (*Tripodem*, *Trépied*, *Dreyfußs*) intelligas ad potiones cornu contentas super igne calefaciendas?

II. fol. 51. p. 2. Incipit Liber *S. Aug. De Bono Coniugali*. Videlicet: *Quoniam unusquisque homo humani generis pars est* &c. Ut edit. *Maur.* T. VI. col. 319. cui bene consonat Codex.

III. fol. 71. Liber *Sancti aug. de sancta uirginitate*. Incipit: *Librum de Bono Coniugali nuper edimus* &c. Ut edit. *cit.* T. *cit.* col. 341. Ad C. 27. Pergite itaque *sancti Dei* &c. nobis hæc interjecta Rubrica est: *Sermo Sancti Aug. De Uirginibus*. Lectio fat proba.

IV. fol. 103. p. 2. Liber *S. Aug. De Bono Viduali*. Incipit: *Augustinus — Juliane — Ne petitioni tuæ et in christo dilectioni* &c. Sequitur etiam T. *cit.* col.

369. Illud in calce: *Perseveres in gratia Christi*, Noster omittit.

V. fol. 120. *Augustinus ad Jeronimum. de eo quod scriptum est. Qui totam legem servabit offendit autem i. u. f. e. o. r.* Initium Epistolae: *Quod ad te scripsi Honorande &c.* ut T. II. col. 594. ubi est n. 167. Additur, ut quidem enuntiat Rubrica: *Rescriptio beati Jeronimi*, illa videlicet, quae habetur T. eod. col. 612. n. 172. et incipit: *Uenerabili Pape &c. Uirum Uenerabilem fratrem meum filium dignationis tuę Orosium &c.* T. I. edit. *Vallarsf. Hieronymi* legitur col. 1036. n. 134. Ab utroque Textu variat in quibusdam Exemplar nostrum, nec adeo in deterius. Ita sub finem ubi in Editis: *notariorum patimur penuriam*, in nostro occurrit *iniuriam*, et re ipsa mox *Hieronymus* de fraude cujusdam conqueritur.

VI. fol. 129. *Incipit Retractatio librorum Beati Aug. episcopi.* Summarium puta II. *Librorum.* Nihil enim exhibetur, nisi Titulus et Initium Operum; neque id eo ordine, quo Edita T. I. col. 3. procedunt. Adest tamen illa in fine Conclusio: *Hęc opera nonaginta et tria &c.* item Recensus ille Librorum ab *Augustino* post *Retractationes* scriptorum, qui incipit: *Libri qui post emendationem &c.* quemque *Mauriani* etiam se in aliquot vetustis Codd. a prima manu invenisse col. 63. testantur.

Codicem hunc ad Coenobium *Lunaelacense* pertinuisse probant adscripta pag. ult. *Επικινδεια* III. a *Luitholdo* Monacho composita in

Chunradum Abb. a. 1145. ob vindicata Ecclesiae suae Bona a male fidei Possessoribus crudeliter interemtum, ut legere est in *Chronico* p. 123. ubi cum etiam isthaec Carmina una cum *quarto*, quod jam ad *Ambrosium de Officiis* hoc Vol. dedi, impressa habeantur, supervacaneum duxi, ea denuo hic reddere, emendare e Codice contentus. Igitur in I. pro *qui legat ista* repone legit. In II. pro *Eliciat tibi*, quamquam nec Codex aliter, manifeste scribendum *Eliciatque*. In III. pro *domus atra tegit* Codex *ἐμφατικωτερος tegis*. Ceterum millenis aliis hujus aevi versus hi potiores sunt.

CCCXLIX.

Codex membraneus lat. Sec. U. 183 XIV. Folior. nunc 99. f. per duas columnas probe scriptus, initiorum literis deauratis, picturatis, rubricisque distinctus, et quondam ab egregio illo *Vindobonensium* Antistite *Job. Fabio*, ut Nota impressa praefert, donatus Collegio suo ad *D. Nicolaum* completur *D. Augustini Libros VI. contra Julianum Pelagianum*, qui in Edit. *Maur. T. X. Opp. P. 2. col. 497.* leguntur. Folium 1. Codicis deperiit. Prima igitur verba nunc sunt: *nupciarum scilicet bonum discernens ab eo malo. unde trahitur originale peccatum*, quae in Edit. *cit.* mox post C. 2. initium reperias. Opus integrum, lectio proba est, si Graeca excipias ab imperitis linguae Scriptoribus deformata. Noster nomen suum ad cal-